

† Fr. I. Felicianus (Nicolaus) Mathieu (1873-1952)
(Prov. Paris.)

Carissimus Fr. Felicianus in territorii Sarensis vico Roden, qui hodie cum urbe Saarlouis conglomeratus est et ad dioecesim Trevireensem pertinet, natus erat, ergo origine Germanus, sed ab ambobus parentibus, ut putabat, sanguine et inclinatione Gallica donatus, avunculum suum, R. P. Ioa. Hoffmann, secutus est et Provinciae Gallicae sese associavit. Postulatu per biennium in Dongen absoluto, primum tirocinii annum a. 1893 dirigente R. P. Saget in Stratum Bataviae peregit et secundum in Antony a. 1898, moderante R. P. Caillot. Vota perpetua professus ad Tury-en-Valois mititur, communitati Studentatus attributus, cui exinde, brevibus intervallis neglectis, per totam vitam adscriptus mansit.

Cum ineunte hoc saeculo religiosi e Gallia relegarentur, Fr. Felicianus Students per singula exilia comitans, quinque annos in Bishop-Eton Britanniae, quattuor in Eschen Belgii et duo in Valkenburg Bataviae versatus est. Primo magno bello exorto, tunc temporis membrum Communitatis in Angers, quia ortu Germanus erat, tribus annis campo concentrationis in Kerléniat (Finistère) continebatur, unde mense Nov. 1917 in Helvetiam dimissus, regionem patriam petere potuit ibique usque ad mensem Aug. 1919 commorabatur. Tunc ambulatorem quisiliis occupatum similans et baculum nicotianum inter labia tenens fines Germaniae transgressus in Valkenburg a confratribus maximo cum iubilo receptus est.

Cum a. 1935 cives territorii Sarani fere omnes plebiscito palam se Germanos proclamassent, Fr. F. multos conatus, ut civis Francogallicus nominaretur, frustra faciebat, et secundo bello magno exardescente, postquam iteratae petitiones, ut sibi liceret, PP. in Galliam comitari, repulsam fecere, primo inter Communitatem Germanam Vaalsensem, deinde inter Batavam Wittemensem fraterno amore receptor est, una cum Fr. Bertholdo, eiusdem Provinciae Parisiensis, socio patriae et fatorum. Fr. Bertholdo a. 1948 pie defuncto, Fr. Felicianus in Glaenbrug, ubi parva Communitas Germana vivebat, translatus, semisaeculare professionis iubilaeum celebravit.

Quamquam iterum atque iterum confirmabat, se a Batavis et Germanis semper tamquam fratrem a fratribus receptum et tractatum esse, tamen Provinciae a qua receptor et formatus fuerat, fidelis permansit et verbis at scriptis asserebat: « *Inter confratres Gallicos vivere et dies meos finire desidero* ». Id tandem a. 1948 consecutus est, civitate primum donatus a regimine novi quasi-status Saar, et die 25 Aprilis e patria naturali in patriam cordis sui reversus, iterum unitus est familiae Studentatus, quae interim in Dreux domicilium invenerat, ubi una cum veteranis sodalibus, Fr. Fr. Achille, Iacobo, Paschali aureum fidelitatis Redemptoriana iubilaeum d. 8 Maii 1948 more festivo et magnifico celebravit.

Quattuor reliquos annos officio speciali non oneratus, hilaritatem animi semper servans atque dolores « veteris larvae osseae » (*vieille carcasse*) sicut ipse dicebat, contemnens, pie, laboriose, patienter peregit. Denique, quominus saepius in sacellam descenderet, et ultimo tempore, ne cubiculum relinquenter, impeditus, inde ex die 30 Sept. lecto semper retentus, circa meridiem 10 Oct., omnibus Ecclesiae auxiliis munitus, pia morte Redemptoriana e medio confratrum vadit ad Patrem.

Omnes confratres de vita eius referentes in eo conveniunt, inter virtutes Fr. F. maxime emicuisse amorem orationis. Secundum mores avitos Fratrum Coadiutorum cotidie rosarium integrum quindecim decadum recitabat. In eo habitum corporis minus reverentem durante oratione nunquam invenisti. Singularis hebdomadis confessionem faciebat et pro altera benedictionem sibi expetebat, eodem semper die et eadem hora. Donum religiosae vocationis summe faciens, se teneri putabat, ut confratribus eorum menda morum indicaret, ne neglectis modicis paulatim deciderent. Ut oratio illuminata maneret, bis magnum illum Catechismum a *d'Hauterive* exaratum et 9000 paginas complectentem legebat et, ne nimis distraheretur, sibi deambulationes interdicebat, factum forsitan admirandum quam imitandum.

Amoris paupertatis, quem in omnibus colebat, speciale signum, quod hic referatur, forsitan dignum est. Confratrum ingrediendi modum examinabat et methodice mutabat, ne soleae calceamentorum semper in eadem parte contererentur, quo diutius perdurarent. Officio sutoris fungens etiam in magna Studentatus communitate unumquodque par calceamentorum sciebat et ultiro confratres rogabat, ut sibi « infirmos medendi causa apportarent ».

Mirum esset, si Frater Coadi., arte sua sutoria bene instructus et postea ad hortulani et per aliquod tempus etiam coqui artes transmissus, insuper gaudens certa cultura et legens religiosos et profanos libros in tribus linguis, semper cum Superioribus plane consensisset; sed « simulac Superior locutus est, oboedientia Fr. Feliciani perfecta erat, etiamsi interne iussa dolebat », scribit Professor Studentatus. Ad oboedientiam, puto, etiam pertinet quasi mira Fratris diligentia in dandis actuum communium signis, ut, quando ad horologii ictum signum nondum datum erat, omnes certi essent, Fr. Felicianum non domi versari.

Saepe e capite laborans dolores propria experientia noverat, et forsitan in hoc facto ratio invenitur, curnam optimus nosocomus esset, clientes non tantum

fovens, sed etiam consolans. Ita Patri H. Payen, cuius tota facies terribili morbo *Lupus* devorata erat: « Sine Te », inquit, « res male procederent, Tu noster es conductor fulminis ».

Tempus laboribus et orationibus absolutis restans Fr. F. instructioni ampliandae et solidandae impendebat. Historiam Ecclesiae, Conciliorum, Episcopatus, Congregationis eiusque virorum illustrium, necnon multa scibilia profana, scil. magnos eventus nationales et mundanos, pro Fratre Coadi. optime sciebat, ut iudicium aptum et rotundum efformare posset de rerum statu praesente, ex. gr. de conditione Ecclesiae vel de regiminum cum ea simultatibus.

Defuncti memores optamus et imploramus, ut multos habeat imitatores sibi similes, Deo et hominibus caros. R.I.P.

H. N.